

EPITHALAMION  
**IN HONOREM**  
**CONIVGII DOCTISSIMI**  
ETHUMANISSIMI VIRI, D.GEORGII GEONCZI,  
affinis sui chariss: sponsi: & honestæ virginis IVDITH, sororis sue, filie  
clarissimi viri D. Francisci Mohini Pastoris Ecclesiae  
DEI in Zikzo, patris sui colendi.  
Sponsæ, scriptum

A  
**MICHAELE MOHI.**



VITEBERGÆ  
EXCVDEBAT IOHANNES  
CRATO.  
ANNO M. D. LXVI.

654

B 852 ac

C. 654

Τὸν γάμον ὄυρανόθεν πάτερ ἐυποίησον ἀδελφῆς  
Τῆς μὲν ἐμώ, καὶ ἀυτῆς φιλτάτης ἀνδρὸς ὁμώ.

Mich: Mohi.

MICH: MOHI VI  
**PRECATIVNCVLA SCRIPTA**  
**AB ANDREA AGRIENSI PRO FE-**  
**LICITATE HVIVS CONIVGII.**

Παριβασιλεὺς ὡς χριστεῖο παργασίᾳ ἄγνη,  
Ηθελεσ ὡς κοσμεῖν θεατέσιον γένε γάμου.  
Άμφὶ πέδου καναναιῶν ὅπῃς εἰς ἀιθοπαῖον,  
Μούνω ἥλαπτες ρῆματι ἄγνουν ὑδωρ.  
Συμποσίοιο θεὸς οὐ τούτῳ χριστεῖ πάριθι,  
Πνεύματι ἐκχεῦσον δῶρα μέγιστα σέο.  
Τήρησον γάμορον καὶ νύμφην καλλιπάρησον,  
Ως μακρὸν ζῶσι χριστεῖ μέγιστε χρόνον.



EPITHALAMION.

Te duce sancte Pater castos cantare hymenæos  
Incipiam, cuius primus & author eras.  
Te duce coniugij firmissima vincula casti  
Aggrediar: tardam nectere mitto moram,  
Tempus enim venit fidum quo casta maritum,  
Virgo sibi iungit lege iubente Dei.  
Huc igitur mentem Iudith conuerte benignam,  
Sermonesque tui fratris amore feras.  
Non mihi nam fateor primis aduenit ab annis,  
Fiet nec posthac gratior nulla dies.  
Quam tua quod nostro celebrantur carmine festa,  
Et quod legitimo iungeris ipsa toro.  
At gratum nobis vestri spectare hymenæi  
Gaudia, cara soror si licuisset erat.  
Vere equidem fateor Cræsi præciosius auro,  
Dignius & Crassi diuitis illud erat.  
Dum modo fortunæ fauissent vela secundæ,  
Atque pedes patrio detinuisse humo.  
Nec penes hoc hominem est, potius diuina voluntas,  
Me procul à patrijs iussit abesse focis.  
Leucorei ut notum ludi sublime theatrum  
Fiat, & ingenio Musa notanda meo.  
Nec tamen à vobis totus disiungar: apud vos  
Parte mea præsens sed meliore fruar.  
Vos igitur ciues castoque pudore nitentes  
Matronæ, iuuenum tu quoque magna cohors.

A. ü. Postmod

Postmodo pastorum clarissima turba piorum,  
Tuq; magistrorum turba decusq; pium.  
Vos dico quotquot pingues longo ordine mensas  
Cingitis, est veluti sacra corona rosæ.  
Auribus vt patulis nostris aduertite dictis,  
Votaq; cum precibus iungite vestra meis.  
Pulueris ex parua Deus vt formauit Adamum  
Massa, diuitibus mens erat aucta bonis.  
Et pietate grauis sanctam sine labe ferebat  
Vitam, nec tetros hauserat ille dolos.  
Huius sub validas Domiuus conclusit habenas,  
Quicquid habet vasti machina magna soli,  
Et cum brutarum Paradisi sede ferarum,  
Omne genus rerum primus habebat Adam.  
Non tamen huic similis tantis è millibus vnus,  
Corpore, vel formæ nobilitate fuit.  
Unicus ipse fuit tantum nec compare pulchra,  
Aut stabili nexu virgine iunctus erat.  
Sed pater in fessos somnum demisit inertem  
Artus, vt capiat lumina torpor Adæ.  
Moxq; velut vastum cernas descendere pondus,  
Sic caput extemplo torpor habebat Adæ.  
Tunc opifex duram lateri sapienter acuto,  
Extulit hinc costam, carne replente locum.  
Iamq; regebat eam miti & sermone fouebat,  
Euag; de duro prodijt osse viri.

Hec

Hæc mater generis dicta est mortalibus vna,

Nominis hæc q̄ tulit digna trophya sui.

Hanc Deus omnipotens vitæ sociamq; laborum  
Fecit, & ad sanctum detulit ecce virum.

Surge tuam dixit Dominus circumspice Adame  
Euam, surge procul somnia pelle citò.

Protinus vt suauem sensit dicentis ab ore  
Vocem, de viridi surgit Adamus humo.

Vtq; videt comptam facie pulchraq; puellam,  
Extemplo propriam iungit amore sibi.

Talia voce refert certe hæc pulcherrima virgo,  
Os ex osse meo carne caroq; mea est.

Hæc mea perpetuum consors & amica voluptas  
Fiet, & hac stabili virginie lege ferar.

Omnis homo ergo suam linquat matremq; patremq;  
Solius & foueat coniugis ille toros.

Et Deus vxorem cuius præcepit habere,  
Vt pariter castum seruet vterq; decus.

Crimina namq; Deus sceleratae noxia vitæ,  
Exequitur pena semper vbiq; graui.

Casta Deus mens est: res & non vlla tonanti,  
Coniugio casto charius esse potest.

Hinc fit enim humani generis fœcunda propago,  
Hinc Domino sponsæ grata corona piæ.

Si noua nulla patrum soboles sequeretur & almæ,  
Posteritatis honos mox ruiturus erat.

A ij Nascentes

Nascentes senibus nulli solatia vitæ  
Adferrent, nostrum corrueretq; genus.  
Nam licet æthereum Dominus dum conderet agmen,  
Plurima produxit millia voce semel.  
Et mortale quidem renouare propagine germen,  
Alterna voluit continuaq; mora.  
Prodijt hinc Noah castæ de viscere matris,  
Vnicus effugit qui mala diluuij.  
Hinc pius Abramus quo non iam iustior alter,  
Qui fuerat gentis stirps & origo Dei.  
Isthinc cara Deo nata est Iessæia proles,  
Rex bonus & vates inclitus ille fuit.  
Ast hoc intacta maius de virgine nasci,  
Æterni voluit Filius ipse Patris.  
Quanta ergo sit coniugij præstantia fidi,  
Nemo equidem verbis commemorare potest.  
Hoc igitur vitæ sacrum genus ipse reliquit,  
Fecit & hoc verbo tempus in omne ratum.  
Flagitia illicitæ ne sœua libidinis adsint  
Efficit: & causas pellit amoris, ope.  
Masculus & roseo perfusa rubore puella.  
Ut capiant thalami munera larga boni.  
Cumq; animus curis solers torpescere auris,  
Incipit, ut sese rebus vterq; iuuent.  
Susceptosq; simul puro de semine natos,  
Erudiant casta cum pietate suos.

Ergo

Ergo felices hodie vos estis vtrig,  
Cum sponsa pariter docte marite tua.  
Et quod vterq parem reperistis maxime lætor,  
Gloria sit patri Christe colende tuo.  
Nunc Iuuenilis adest quæ conciliabit amores  
Ætas, atq dabit maxima dona Dei.  
Ex hoc coniugio soboles pucherrima casto  
Surgit, quæ pignus vobis amoris erit.  
Sed quid ego tantis sermonem extendere nitor,  
Desine sitq satis flaua Thalia loqui.  
Nunc tu supplicibus fusis de pectore votis,  
Aure preces aida percipe quæso Deus.  
Munere Christe precor socialia fœderâ sancto  
Ornes, & præsens vt pia iurâ tegas.  
Suscipe quæso preces imo de pectore fusas,  
Hosq tua dextra protege Christe manu.  
Qui modo coniugij firmas sensere catenas,  
Iussaq perficiunt te duce Christe tua.  
Aspicias sponsum, clemens quoq protege caram,  
Sponsam, magne pater pro bonitate tua.  
Vitibus atq racemiferis fœcundior illa  
Sit, multaq queat prole beare virum.  
Ergo sponsa tua multum cum coniuge viue,  
Intret & in vestros rara querela toros.  
Et Pylios tutis vincatis sedibus annos,  
Cumææ vatis vincite secla precor.

F I N I S.